



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIBRIS||  
COMPREHNSA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. Tractationem de notis Ecclesiæ vtilissimam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53873)



LIBER QVARTVS DE NOTIS ECCLESIE.

CAPVT PRIMVM.

*Tractationem de notis Ecclesie utilissimã esse.*



VPEREST CONTROVERSA DE NOTIS veræ Ecclesie, quæ cõtrouersia vtilissima est; omnes enim confitentur, in sola vera Ecclesia esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis æternæ, aded vt CYPRIANVS de simplicitate Prælatorum dicat: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt; ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, nõ erit illa fidei corona, sed pænna perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.*

Similia docent omnes Patres, nec hæretici ea negant; nam idcirco omnis hæresis ad se solam trahit veram Ecclesiam, & alios omnes extra Ecclesiam ponit, vt his verbis LACTANTIUS docet libro 4. cap. vlt. diuinarum Institutionum: *Sola Catholica, inquit, Ecclesia est, qua verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vite, ac salutis æterna alienus est. Sed tamen singuli quisq; hæreticorum cõtus se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant.* Itaque si in hac controersia conueniremus, reliquæ omnes facillè componerentur. Duo igitur tractanda sunt. PRIMO refellenda sententia hæreticorum huius temporis de notis veræ Ecclesie. SECUNDO explicanda & defendenda sententia Catholicorum.